



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 9. Miscellanea.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Ad tabernacula. Domus aedificatur, ut permanens, & fixum; domicilium: tabernaculum autem, seu tentorium, ad breviter manendum. Cum illa gloria esset quaedam particula caelestis beatitudinis; quia tamen in terra appareret; etsi nescius, quid diceret Petrus, in hoc tamen cautè loquitur. Sylveira hic. q. 19.

Ab arbore fici discite parabolam. Matth. 24. 32. Ficus, cum sit dulcis, sumitur in parabolam ad orbis exterminium: nimia enim prosperitas excidii est praesagium. Idem hic.

Magni animi est, magna contemnere; ac mediocria malle, quam nimia: illa enim utilia, vitaliaque, sunt, atque haec: eò quòd semper fluunt, nocent. Sic fegetem nimia sternit ubertas; sic rami onere franguntur. Ad maturitatem non pervenit nimia foecunditas. Idem animis quoque evenit, quos immoderata felicitas rumpit; quàm non tantùm in aliorum injuriam; sed etiam in suam utuntur. Naxera in Jos. 22. §. 9.

Num. 2.

Testimonia.

Ex Veterii, & Novo.

Videbam coram me vitem. Gen. 40. 9. 10. Pistorum magister se tria canistra vidisse ait; & ad omnium excelsum, ciborum delicias plenum, aves involare. Cur ex somniis Joseph adeò disparatem conjicit eventum? Quia vitem paulatim crescere in gemmas vidit; & aves citò ad cibos involare. Nec enim, si felix esset auspiciam, adeò celer esset volatus: nec, si vitis infausta portenderet, lentè adeò crevisset. Nam calamitates aligeræ properant; felicitates accedunt tardigradè. Naxera in Jos. 6. §. 19.

Damon in Job facultates, Dei permisso, deflavens, ignem de caelo adducit, ventos invitat, hostes inflammat; & brevissimò intervallò, quæ multis annis composita, dissipantur. Job. 1. 12. &c. Josue milites Jericho capiunt; sed post plurimum dierum obfidionem in septimi diei fine: at sine morâ ab Haiensibus profligati statim terga vertentes percussi sunt. Jos. 7. 4. 5. Moyses, ut per aquas iter populo terrenum panderet, virgâ mare percutit, percussaque vitreos in muros eriguntur; sed ventò totâ nocte acris spirante. Ex. 14. 21. cum extendisset Moyses manum &c. sed, ut Aegyptios absorbeat, citius, & precipitatus, ruit. Reversum est primò diluculo ad priorem locum. Longò spatiò pacta felicitas, brevissimò advolvit adversitas. Naxera in Jos. 6. §. 19.

Dies mei transferunt. Job. 17. 11. Dies hi praeteritæ felicitatis possunt intelligi. V. Beda hic.

Succidite arborem. Dan. 4. 11. Nabuchodonosoris arbor, cujus altitudo nimia, succidi

jubetur. De eo dicere potuisset Senecca, quod de Cajo Caesare, ep. 94. quid Cajum Caesarem in sua fata pariter, ac publica immisit? gloria, & ambitio, & nullus supra ceteros eminenti modus. Naxera in Jos. 1. §. 40. *Altitudo ejus nimia.* Dan. 4. 7.

Erant ibi lapideæ hydriae sex. Joan. 2. 6. Cur tam exactè scribit hydriarum numerum, & capacitatem? videbatur majus miraculum dare vinum absque numerò, & mensurâ. Valdè suspecta est felicitas: si modum nesciat; per se ruit. Sylveira Addit. in Joan. 2.

Præterit figura hujus Mundi. 1. Cor. 7. 31. S. Theodorus Studita: quid est, præterit. &c. idem, quod labitur, præterequit: nec vel diurnam stabilitatem obtinens; sed, qui heri nitidus, hodie squalidus: qui heri in re splendida, hodie in miseria est. Nunc extollitur ille; nunc alter dignitate ruit: hic è paupere fit dives; alius è divite pauper milleque mutationibus, atque vicibus, ærumnosa nostra subiecta vita est, nihil possidens constans. S. Chrysof. Theophylactus, vertunt illa verba sic: *præterit scena hujus Mundi.* In Comædia, cum quis regem, vel principem, repræsentat, &c. Quàm parvi facimus illa! quàm parum invidemus tali gloriae. Did. Niss. Vit. Abr. l. 9. c. 1.

Ventis citius fidere possumus, aut literis in aqua scriptis; quàm hominum felicitati. Quod quidem, meâ sententiâ, ideo fit; ut harum rerum inconstantiam, inæquabilitatemque, perspicientes, concitatore cursu ad Deum, & futura, properemus. S. Gregor. Naz. ep. 18.

§. VIII.

Cur bonis hic malè, malis benè?

Quare ergo impii vivunt? sublevati sunt, confortatique divitiis? &c. Job. 21. 7. Justus quidem tu es, Domine; veruntamen iusta loquar ad te: *quare via impiorum prosperatur? benè est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt.* Jerem. 12. 1. *Ecce ipsi peccatores, & abundantes in seculo, obtinuerunt divitias &c.* Pl. 72. 12. Cum bonis hic malè est, & malis benè; hoc fortasse deprehenditur: quia & boni, si quæ deliquerunt, hic recipiunt, ut ab æterna plenius damnatione liberentur: & mali bona, quæ pro hac vita faciunt, hic inveniunt, ut ad solam imposterum tormenta pertrahantur. S. Gregor. mor. l. 5. c. 1.

§. IX.

Miscellanea.

Etantur, cum malè fecerint. Prov. 2. 14. Tales similes sunt illis, quos in Apulia videmus morfos à tarantulis, continuo saltare, tripudiare, & tripudiando emori. Cornelius hic.